



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

244. An si in campo particula non inueniatur, possit Sacerdos dare partem
suæ Hostiæ moribundo? Et an hoc etiam in aliis casibus extra periculum
mortis liceat dummodo retionabilis causa subsit, vt si ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

separatam pro se materiam consecrare, & nihil ex illa distribuere, aut quasi educillare, nā & Christus de vno & eodem calice dixit: *Bibite ex eo omnes.* Cur ergo in pane tenebitur separatam quandam partem non frangendam sibi seruare, & nihil de illa aliis conferre: iam vero videndum est, an sit aliqua iuris prohibitio. Hanc ego in iure aliquo communi non inuenio. Nam quae dicuntur ab aliquibus de *capite Relatum de Consecratione distincti. 2. & cap. Comperimus eadem distincti.* indigna sunt quae audiantur. Nam in priori Textu ex Concilio Toletano, 12. solum mandatur (contra quosdam aliter facientes) ut, qui sepius in die celebrat, in singulis Missis communicet. In posteriori verò contra aliquos aliter facientes statuitur de Gelasio Papa, ut non alterutram, sed utramque speciem Sacerdos celebrans sumat. Vnde frustra Grassius ob talem legem, & sine fundamento dixit, teste Diana in *ill. ref. 34. p. 3.* non modica poena dignum esse Sacerdotem frangentem hostiam ut Laicum communicet. Vtrum autem sit prohibitum, per specialem aliquam legem Synodalem in D'cessi aliqua, mihi non satis constat; nisi forte in Toletana, non solum in Synodalibus anni 1622. sub Serenissimo Ferdinando Infante Cardinali, sed longe ante illud tempus. Vbi tamen id prohibitum facit, standum erit prohibitioni. Nec probo sententiam Ioannis Sanchez in *selectis, disputat. 22. num. 21.* qui ait nullam esse culpam, etiam ea prohibitione posita: si enim fieret sine causa rationabili, non video cur, qui sciens & volens faceret, non peccaret: De mortali verò præcepto, non ausim affirmare esse mortale sine causa facere, quia non videtur materia grauis irreuerentiæ, idque à fortiori docet Ioannes Sanchez, *supra* citatus. Quæ autem causa sufficiat prudentis iudicio videtur relinquendum. Ego non putarem requiri grauissimam. Vnde putarem sufficere, quod sic communicaturus non habeat aliam Missam, vel cogatur diu expectare, donec aliud Sacrum celebretur, aut in sequentem diem differre. Quin etiam sufficientem existimarem causam, quod aliqua persona grauis, aut nobilis velit communicare tunc, ut postea mature se expediat ad negotia, imo & famuli, qui ut tempestiue sint expediti ad exhibenda seruitia, velint communicare, nec facile possint sine officiorum dispendio expectare. Addiderim satis esse, si fiat, ne diu expectet ipse Sacerdos pro afferenda particula; potest enim pergere in Missa ad Offertorium, & Consecrationem, daturus partem suæ Hostiæ. Auctores, qui ex rationabili causa licere putant, innumeri sunt, & præter alios relatos apud Dianam. Hucusque Dicastillo.

2. Itaque, ut vidisti amice Lector, hic vir doctissimus putat, Sacerdotem dantem partem Hostiæ Laico communicaturo absque causa, non peccare mortaliter; & causam iustam putat, quod sic communicaturo non habeat aliam Missam, vel cogatur diu expectare, donec aliud Sacrum celebretur, aut in sequentem diem differre. Item, si aliqua persona grauis, vel nobilis velit communicare tunc, ut postea mature se expediat ad negotia; imò si famuli, ut tempestiue sint expediti ad exhibenda seruitia, velint communicare; nec facile possint, sine officiorum dispendio, expectare. Et satis esse, si fiat ne diu expectet ipse Sacerdos pro afferenda particula.

RESOL. CCXLIV.

Ansi in campo particula non inueniatur, possit Sacerdos dare partem suæ Hostiæ moribunda?
Et an hoc etiam in aliis casibus extra periculum mortis liceat, dummodo rationabilis causa subsistat, ut si quis-

piam magna deuotione ad Eucharistiam accederet; & non esset formula, quæ illi porrigi posset, &c.
Et docetur Sacerdoti non peccare mortaliter, qui cum particulam communicaturo porrigere facile posset, dat partem paruum ex sua Hostia consecrata Ex p. 5. tract. 3. Ref. 54.

- §. 1. **R**espondeo affirmatiuè cum Paludano in 4. *distincti. 12. quest. 1. art. 5. conclus. 2. Sylu. Stro Euchar. 2. quest. 10. §. 7. Antonino part. 3. cap. 6. §. 3. Henriquez lib. 9. cap. 30. num. 21. Chapeauilla de sacram. Euchar. quest. 28. & Iacobo Granado de Sacrament. in 3. part. contr. 6. tract. 13. disp. 3. num. 3.* vbi sic ait. Et quidem si infirmus esset in mortis articulo, nec formula inueniretur, posset sine dubio Sacerdos partem Hostiæ referuare, & infirmo porrigere. Illa ille. vbi *num. 4.* rectè docet, quod etiam ego docui in 2. part. tract. 14. de celebratione *Missarum, resol. 37.* cum multis Doctoribus, hoc etiam in aliis casibus extra periculum mortis licere, dummodo rationabilis causa subsistat, ut si quisquam magna deuotione ad Eucharistiam accederet, & non esset formula, quæ illi porrigi posset, quia hoc non obstat integritati sacrificij, ad quam solum pertinet consumere illud sub vtraque specie; quòd verò aliqua pars vnius speciei alteri tribuatur, licet sine causa malum sit, quia est contra Ecclesiæ morem, & minus perfectam consumptionem hostiæ immolata; potest tamen coonestari aliquo rationabili fine. Neque contra hanc doctrinam urget vllo modo, quod legitur in Missali titulo de defectibus in ministerio occurrentibus, *vers. si Sacerdos.* Nam ibi solum dicitur. Si Sacerdos, qui iam consecrauerat, saltem vnam speciem, in morbum incidat, perficiendam esse ab altero Sacerdote Missam, qui illum priorem, si adhuc viuat, efficiet participem Hostiæ, ab ipso consecratæ, porrigendo illi partem, & sumendo sibi aliam, quamuis sit alia formula consecrata, hæc potius infirmo porrigenda sit. Vbi planè loquitur de Sacerdote, qui dum celebrat in morbum incidit, nec negat in aliis casibus posse dari partem Hostiæ volentibus Eucharistiam suscipere.
2. Nec valet dicere quòd Gelasius Papa de consecr. *dist. 2. c. comperimus,* scribens Maiorino & Ioanni Episcopis, arguit quosdam in sacrificio Missæ integra Sacramenta non sumentes, & mandat vt vel integra Sacramenta percipiant, vel ab integris accedant; ergo non debet hic modus dispensandi tolerari. Respondetur ibi Pontificem arguere quosdam, & meritò, qui in sacrificio alteram tantum partem, videlicet corporis Christi, accipiebant, & ab altera, videlicet cruoris sacri, abstinebant, qui longè diuersi sint ab illis, qui vtraque partem sub vtraque specie sumunt, sed vnam particulam alterius speciei pro ægro referuât, vt ex antè dictis facile colligi potest.
3. Non desinam tamen hic adnotare aliquos docere Sacerdotem non peccare mortaliter, qui cum particulam communicaturo porrigere facile possit, dat partem paruum ex sua Hostia consecrata. Cuius sententiæ est nouissimè Ioannes Sancius in *selectis, disp. 22. num. 21.* vbi sic ait. Quapropter constitutio synodalis edita anno 622. à Serenissimo Infante Cardinali, prohibens ex Hostia diuidi particulam ad laici communionem, intelligi ad summum debet, quando facile aliæ formulæ apponi possent. Imò nec in hoc casu inuenio culpam, cum nullo præcepto sit prohibitum ex Hostia diuidi particulam, nec quidquam interest, quòd possit vitari diuisio ex eo quòd aliæ supersentent formulæ. Sic ille.
4. Verùm contrarium ego teneo cum Granado vbi *suprà,* & Emanuele Sà *ver. Eucharistia, num. 15.*

Quæ hic est supra Ref. 241. & etiam pro aliis casibus extra periculum mortis & in Ref. 242. & 243. & in aliis vers. earum annot.

vbi sic ait: Potest Sacerdos communicatio dare partem suae Hostiae, si alia non est. Ita ille. Vide etiam Ochaguiam de Sacram. tract. de Euchar. quæst. 4. n. 12. & Possseinum de officio Curati, cap. 8. n. 13.

RESOL. CCXLV.

An Sacerdos, finita Missa, si in Sacrastia inueniat aliquod fragmentum in Patena, vel Calice, possit illud sumere?

Et an ex accidenti, quando reliquia non possunt conseruari sine maiori irreuerentia, in ea enim circumstantia non solum Reliquia præsentis sacrificij, sed etiam præteritorum assumi possunt ab ipso Sacerdote non ieiuno, etiam postquam a multo tempore ab Altari recessit? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 45.

Sup. hoc infra in Ref. 246. 247. & in fine Ref. 249. & in Ref. 250. & supra in Ref. 130. §. penult. & infra in tr. 2. lege §. vi. Ref. 101.

§. I. **H**ic casus frequenter potest accidere, & ideo negatiuam sententiam sustinendam esse putatur: nam hoc licitum erit dum Sacerdos in Altari perstitit, quia tunc eiusmodi reliquiarum assumptio referretur ad vnum, idemque conuiuium, & sacrificium, quod planè absolutum non censetur, dum Sacerdos in altari manet: secus autem si ab illo decesserit, vt est in casu proposito. Et ita docent Layman. Theolog. mor. lib. 5. tr. 4. cap. 6. n. 22. Coninch de sacram. q. 80. art. 8. n. 64. Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 68. sect. 6. Villalob. in sum. tom. 1. tr. 7. diff. 39. n. 16. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. de sacram. Euchar. q. 5. dub. 4. concl. 3. Fagundez pr. 3. lib. 3. c. 5. n. 3. vbi sic ait: Existimo non posse Sacerdotem per se loquendo prædictas reliquias sumere, postquam ab altari recessit, quia iam expleuit, perfectiq; ministerium suum: secus tamen esset ex accidenti, quando illæ non possunt conseruari sine maiori irreuerentia; in ea enim circumstantia non solum reliquia præsentis sacrificij, sed etiam præteritorum assumi possunt ab ipso Sacerdote non ieiuno, etiam postquam a multo tempore ab Altari recessit. Ita ille, & ego. Igitur pro praxi dicendum est, quod si in Ecclesiis, vbi plures successiue celebrantur Missæ, aliquis Sacerdos in sacrastia inueniat in Calice, verbi gratia, aliquod fragmentum, tunc alius Sacerdos ieiunus existens ad dicendam Missam celebret in illo Calice, vt fragmentum illud ieiunus accipiat; sin verò id accidat in aliqua Ecclesia, vbi vna Missa tantum celebratur, & ibi non referuatur Sacramentum, tunc Sacerdos non ieiunus potest tale fragmentum accipere, quia illud referuati sine maiori irreuerentia non potest. Notentur hæc pro praxi, quia forsitan apud neminem inuenies.

RESOL. CCXLVI.

An Sacerdos finita Missa, si in Sacrastia sacris Vestibus adhuc non spoliatus inueniat aliquod fragmentum in Patena, vel in Calice, possit illud sumere? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 43.

§. I. **H**ic casus est frequentissimus, & negatiuam sententiam cum multis Doctoribus ego docui in 3. part. tract. 4. resol. 45. secluso tamen vno casu, de quo etiam vide Ioan. de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 15. sect. 4. n. 82. & Ioan. Præpositum in 3. p. q. 80. art. 8. dub. 2. n. 46. Non reticeam tamen in gratiam curiosorum hic adnotare, affirmatiuam sententiam admittere, & tenere nouissimè Iacobum Granad. in 3. p. D. Thom. de Sacrament. controu. 6. tract. 10. disp. 8. n. 11. vbi sic ait: Si post bibitum Sanguinem, & post ablu-tionem inueniat reliquias in Patena, potest Sacerdos

Quæ hic est Ref. antecedens, & in Ref. seq. & infra in Ref. 249. in fine, & in Refol. 250 & supra in Ref. 130. §. Secundus casus, & in

illas sumere, dum est in Altari. Imò aliqui extendunt, vt non solum liceat, dum Sacerdos est in Altari, sed etiam si ad Sacrastiam redierit, dummodo vestibus sacris indutus adhuc sit, quia sumptio illarum particularum pertinet ad integritatem sacrificij, quæ diuino iure præcepta est Sacerdoti: hinc verò cum non sit absolute noua communicatio, sed perfectio præcedentis, videtur posse peragi ab eo, qui initio communionis fuit ieiunus, & nondum depositus vestes sacerdotales. Ita ille. Quod est valde notandum, licet ergo contrarie sententiæ tanquam communitari, & probabiliori adhaream, non damnaten tamen de peccato supradictam sententiam Granadi sequentem.

RESOL. CCXLVII.

An liceat Sacerdoti in Sacrastia, dum adhuc sacris vestibus est indutus sumere Reliquias Hostie inuenias in Calice?

Et cuius quantitatis oporteat esse huiusmodi Reliquias? Et an si celebrans, sumpto Sanguine, videat particulam Hostie in fundo Calicis, possit digito deducere particulam ad labium Calicis, & sumere ante purificationem, vel remoto scrupulo post vna cum purificatione illam deglutire? Ex part. 6. u. 6. & Misc. 1. Refol. 17.

§. I. **N**egatiuam sententiam docet Machinus de Sacram. Ordinis tr. 3. part. 3. cap. 2. n. 20. vbi sic ait: Hæc doctrina temperanda est, vt non procedat in Sacerdote, qui iam in Sacellum se recepisset, etiam si tunc incipiat videre reliquias quas in Altari non discernerebat. Nam postquam ab Altari Sacerdos discessit, iam compleuit totum suum Ministerium; propterea post sumptionem ablu-tionis, si in sacellum reuerfus reliquias Sacramenti, in quibus Christus asservatur, iterum manducet, sequitur, quod nefas est; eum bis eadem die sacram Communionem recepisse. Ita ille. Et hanc sententiam cum multis DD. ego docui in 3. p. tr. 5. resol. 45. quibus etiam adde Pericum de officio Sacerd. lib. 1. cap. 12. n. 111.

2. Sed pro affirmatiua sententia in 5. part. n. 14. resol. 43. adduxi Iacobum Granado, qui licet videtur loqui ex aliorum sententia, tamen illum non improbat; sed licet hanc opinionem affirmatiuam non tenet Ioannes Baptista de Fabris in Manual. Ordinariorum cap. 11. num. 142. vbi sic asserit: Si celebrans sumpto Sanguine vider particulam Hostie in fundo Calicis, vel supra purificationem reperiat super Patena, vel Corporali aliquod fragmentum existentem hostiæ præsumptæ, quid faciet? respondo in primo casu, vel digito deducat particulam ad labium Calicis, & sumat ante purificationem, vel remoto scrupulo vna cum purificatione deglutat. In secundo casu fragmenta potest sumere etiam non ieiunus, & extra Altare in Sacrastia. Hæc ille. Cui adde ex nostris Patrem Megalium in Prempuaris nota. verb. Eucharistie Sacramentum suscipiens, n. 24. vbi sic asserit: Ego probabilem etiam censeo sententiam, quam in praxi seruant aliqui Sacerdotes docti, & timorate conscientie, vt scilicet prædictas reliquias sumant etiam post recessum ab Altari, & priusquam Missæ paramenta dimittant, si illas in Calice, vel in Patena inueniant. Et ratio huius praxis est, quia sumptio harum reliquiarum post Missam restitutam est complementum eiusdem actionis, & sacrificij; & consequenter tota hæc actio censetur vna, & facta à ieiuno, quando fiat ab eo, qui eam ieiunus inchoauit, & interim nihil sumptis, quod ex inuenit